

X p. XXV. datur quantum faba Aegyptia ex mixti mulsi cyathis quattuor. vitreo vase servatur.

CXXVI. Ad iocineris duritiem veterem, hydropicos, lienosos, arquatos et quibus opus est urina; item ex partu residua mulieri purgat et vulvae  
5 dolorem tollit, sic: anesi X p. VIII, dauci X p. III, petroselini idem, iuni-  
peri idem, silis idem, tragacanthi X p. I S, panacis X p. VIII, iris, myr-  
rhae, costi, amomi, singulorum X p. VI, cinnami X p. III, cassiae  
X p. III, smyrnei, quod est semen olisatri, X p. VIII, nardi Syriaci X  
10 p. III, acori X p. X, balsami seminis X p. VI, opii X p. V, ervi moliti  
sextarii bes, scillae coctae pondo triens, vini Chii aut Lesbii quod satis  
erit. pastilli fiunt pondere X duum.

#### Ad auriginem

CXXVII. Ad auriginem, quod vitium arquatum quidam vocant, ca-  
prae montanae stercus arefactum et tritum adiecta mica myrrhae ex vini  
15 meri cyathis tribus: si febricitabunt, ex aquae totidem. item rumicis  
radices tres aquae tribus heminis incoctae, donec sextarius relinquatur;  
inde cyathi quattuor per triduum dantur.

#### Ad lienosos veteres et novos. \* impubium puerorum

CXXVIII. Lienosis bene facit tamariscum longe a mari collectum et  
20 arefactum et contusum pondere X unius aut victoriati datum ex aqua vel  
ex posca. prodest et inula arida Campana eodem modo contusa et cribrata  
ex vini mixti cyathis quattuor pondere X unius data. mirifice facit et  
ammoniacae guttae pondus victoriati cum cauliculis tribus rubi ex aceto  
datum per quinque dies: tollit enim ex toto duritiam.

25 CXXIX. Potio ad lienosos: balani, quo unguentarii utuntur, X p. II,